

leg. 7. tit. 6. p. 7. (Vid. lit. I, pag. 156. in fin. vers. In sextan) stabilitur, aliquem infamia notatum esse procuratorem valere; vid. eam cum glos. utrumque; postquam sic executum fuerit, etiamque dictam addit. nov. lit. I, recognoveris, in consilium mentem dirige.)

25 Procurator judicialis, seu ad judicia post litem contestatam potest alium instituire; tunc enim Dominus litis jam effectus est. *Communis*, text. expresso in cap. Non indiscrete 1. §. Licet a procuratoribus in 6. & lib. Nulla, Cod. eodem, cum similibus.

26 Et a fortiori potest alium libere substituere procurator extrajudicialis, seu ad negotia. *Communis*, text. expresso in cit. cap. Non indiscrete 1. §. Procurator, de procuratoribus in 6. Cum enim in negotiis non agatur de tam gravi præjudicio, sicut in judicialibus, sic potest alium substituere Procurator judicialis, seu ad judicia, vel ad lites, a fortiori poterit alium substituere procurator extrajudicialis, seu ad negotia.

(Leg. 19. tit. 5. & leg. 8. tit. 10. p. 3. Ita est determinatum, si lites fuerit contestata: secus vero non potest alium substituere, nisi ad hoc habuerit mandatum; ceterum procuratores ad negotia, quando voluerint, substitui; non dubitatur, in his casibus industriam certæ personæ eligi: hoc ne efficiere posse præter in mandato expressum: in praxi observatur per se judicia a procuratore primo loco nominato esse proseguenda, & si iste defecerit, qui sequitur, ejus locum occupat; postquam ea omnia meditata fueris, dictis decisionibus presentibus, quod magis tibi placuerit, judica.)

27 Procurator non præjudicat Domino, si extra fines mandati aliquod egerit. *Communis*, per text. in l. Si procurator 10. Cod. de Procuratoribus. Talis enim procurator fines mandati excedens aliud agit, quam sibi fuerat injunctum, l. Diligenter, ff. Mandati, adeoque non præjudicat Domino, ne quis alieno facto oneretur, leg. In causa 27. ff. de procuratoribus.

28 Procuratoris generalis omnium rerum factum, seu negligentia, vel dolus nocet Domino. *Communis*, per text. in l. Procuratoris, ff. de Tributor. action. Dominus enim debet sibi imputare, quod negligentem, aut dolosum Procuratorem præsertim generalem omnium suarum rerum constituerit, l. Cum mandato, ff. de Minoribus. Poterit tamen Dominus actione mandati directæ agere contra talem Procuratorem de omni damno, & interesse per ejus dolum, culpam, aut negligentiam sibi illato, l. Si procurator 10. l. Licet in popularibus 42. §. Ea obligatio. Cod. de procuratoribus, l. Si procuratorem §. 8. final. ff. Mandati, & l. Procuratorem, Cod. eodem, cum similibus.

30 Item nocet Domino etiam factum, seu negligentia, vel dolus procuratoris specialis, qui fines Mandati non excessit. *Communis*, per text. in l. Procurator 10. Cod. de procuratoribus. l. Eum qui res Cod. eod. l. Quoties, Cod. de dignit. cap. Cum olim Abbas 32. de Offic. Deleg. cap. Cum olim 7. de causa possessor. & proprietat. cum similibus. Et contra hunc etiam Procuratorem poterit Dominus, actione Mandati directæ, agere de omni damno, & interesse per ejus dolum, culpam, aut negligentiam sibi illato. *Communis*, per citata Jura sub n. 29.

32 Procuratoris tamen specialis factum, seu negligentia, vel dolus non nocet Domino, si fines Mandati excesserit. *Communis*, per text. in l. Si procurator 10. Cod. de procuratoribus, ibi: "Si Procurator ad unam speciem constitutus officium mandati egressus est, vid. quod gessit, nullum Domino præjudicium face- re potuit," & patet ex dictis supra n. 27. (De hac doctrina vid. leg. 25. & 26. tit. 5. p. 3. 20. 21. 22. & 23. tit. 12. pag. 5.)

33 Procuratoris officium finitur quinque potissimum modis. Et primo finitur Revocatione: Procurator enim, tum judicialis, tum extrajudicialis, re integra, potest libere a Domino revocari etiam sine causa, cap. Quamvis 2. de Procuratoribus in 6. l. Si Procuratorem §. Recite, Inst. de Mandato. Re autem non integra, seu post

litem contestatam, aut inceptum negotium, revocari potest solum cum justa, & rationabili causa, cit. cap. Quamvis, de procuratoribus in 6. l. Post litem 17. ff. de procuratoribus.

Causæ autem justæ, & rationabiles revocandi Procuratorem etiam re non amplius legitime recensentur in cap. Quamvis 2. de procuratoribus in 6. ubi postquam Pontifex dixit: "Quamvis procurator possitante litem contestatam, etiam sine causa libere a Domino revocari, statim subjungit: Postea tamen ipso nolente nequibit, nisi eum cum Domino inimicum fieri, vel suspectum, aut adversario affinitate conjungi, vel ejus heredem fieri, seu ingredi Religionem, aut in longum peregrinari, vel ægritudine, aut vinculis detineri contingat, seu alia rationabilis causa subsit, propter quam sit merito revocandus.

Secundo, finitur renunciatione, seu mutuo consensu Principium, scilicet Domini constituentis, & procuratoris constituti, l. Mutari 24. ff. de Procuratoribus, juncta Glossa ibid. Mutari recepta, & cap. Omnis res 1. de Regul. Juris, ibi: Omnis per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur. (Vid. lit. V, p. 168. col. 2. in princip. Conducunt multe decisiones in 5. & 6. part. comprehensæ.)

Tertio, finitur finita instantia Judicii, id est, post latam sententiam definitivam; Tunc enim licet possit & debeat procurator a tali sententia appellare, vel saltem statim Dominum admonere, ut ipse, si velit, appellare possit, tamen non tenetur appellationem progressi invitatus, adeoque censetur ex tunc expirare ejus officium; cap. Non injuste 14. de Procuratoribus, & lib. Invitus 17. Cod. eodem.

Quarto, finitur per mortem Domini ipsam constituentis, si moriatur re integra, alias secus, §. Item 10. Inst. de mandato, l. Inter causas 26. ff. Mandati, ibi: Inter causas omittendi Mandati etiam mors Mandatoris est, nam Mandatum solvitur morte: Si tamen per ignorantiam impletum est, competere actionem utilitatis causa dicit: Ne scilicet justa ignorantia culpam damnum afferat, ut dicitur in cit. §. Item ibi: Alioquin justa, & probabilis ignorantia tibi damnum adferret.

Quinto, finitur per mortem ipsius procuratoris; Tale enim officium non transit ad heredes, cum censetur electa industria personæ, l. Si quis alicui 37. §. 3. ibi: Morte quoque ejus, cui mandatum est, si integro adhuc Mandato, decesserit, solvitur Mandatum: & ob id hæres ejus, licet executor fuerit Mandatum, non habet Mandati actionem, & concordat cit. §. Item 10. Inst. de Mandato. (Quæ ex n. 33, sunt inserta leg. 23. & 24. tit. 5. p. 3. fere comprobant.)

Procurator unus, qui sit viri, & alter, qui sit procurator mulieris, baptizatum de Sacro Fonte suscipere possunt, sed non duo viri, nec duo mulieres, unusquisque tamen proprio nomine, vir loco mulieris, vel mulier loco viri. Sacra Cong. Conc. apud Barbosam in Summa Apostolicar. Decis. verb. Procurator n. 1.

Procurator non contrahit cognitionem spiritualem sibi, sed Mandanti. Sac. Cong. Conc. in Tridentina 16. Maii 1650. Barbos. l. c. n. 4.

Procurator pro contrahendo cum absente matrimonio potest esse diversi sexus ab illo, cujus nomine contrahit; unde potest femina contrahere pro viro, & contra vir pro femina; Agit enim non suo, sed alterius nomine, Vide Matrim. art. 1. n. 36.

Nec requiritur, quod Procurator sit certæ ætatis; Quamvis enim cap. Qui generaliter §. final. de Procurator. in 6. & l. Minor. 51. ff. eod. iuxta dicta supra n. 20. dicatur, Procuratores ad negotia debere esse 17. annorum, tamen id non requiritur in matrimonio, in quo non exigitur industria procuratoris; sed tantum manifestatio consensus: unde sufficit, quod sit in ætate sufficiente ad manifestandum sui Principalis consensum, quamvis necdum esset pubes. Vide d. verb. Matrimonium n. 37.

Impedimentum cognationis spiritualis Procuratoris, qui

PROFESSIO REGULARIS.

Professio Regularis, seu Religiosa est promissio libere facta, & legitime accepta, qua quis in debita ætate constitutus post annum probationis expletum se adstringit Religioni ab Ecclesia approbatæ. Est in re Communis.

Professio Regularis, seu Religiosa est duplex, una expressa, & alia tacita. Professio expressa est illa, quæ fit verbo, vel scripto, vel utroque simul; vel etiam nutu, aut signis in manibus legitimi Superioris, iuxta formam Religionis professæ. Professio tacita est illa, quæ fit sine verbo, vel scripto, & mentem suam obligandi se ad tria vota, & certam Religionem signo, vel facto alio externo satis manifestat. Ita in re Communis.

Ad valorem professionis requiritur ætas annorum sexdecim completorum. *Communis*, text. expresso in Conc. Trid. sess. 25. de Regularibus cap. 15. ibi: In quacumque Religione tam virorum, quam mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum... Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus Regule, vel Religionis, vel Ordinis observationem, aut alios quoscumque effectus.

Anni sexdecim ad professionem requisiti debent esse completi de momento ad momentum; Unde si professio fiat per aliquot tantum horas ante completum annum decimum sextum ætatis, est nulla. Vide verb. Annus probationis a n. 25. & verb. Moniales art. 1. n. 88. & 90. Etas autem incipit a die natiuitatis, non a die Baptismi. Sac. Congregat. Concil. in Corion. 4. Decembr. 1627.

Item ad valorem professionis prærequiritur annus probationis completus. *Communis*, text. expresso in Conc. Trid. loc. cit. ibi: Nec qui minori tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur; professio autem antea facta sit nulla &c. Et quidem hic annus debet esse completus de momento in momentum, adeo ut professio facta nondum completo anno, etiam per modicum tempus, esset nulla. Vide d. verb. Annus probationis n. 20. Immo ita debet esse completus, & integer annus Novitiatus, seu probationis, ut anno bisextili debeat necessario computari lapsus diei, qui tunc de novo additur, cum illi duos dies pro uno computentur. Vide d. verb. Annus probationis n. 27. & 28. Insuper hic annus probationis debet esse continuus, ita ut Novitiatus annum probationis animo Religionem deserendi interruptens, licet per duas solas horas, teneatur incipere de novo annum Novitiatus. Vide d. verb. Annus Probationis a n. 10. ad 24. Et talis annus probationis debet necessario peragi cum Habitu Regulari, & non cum Habitu seculari. Vide d. verb. Annus probationis n. 3. & 4.

Professio potest in articulo mortis emitti, etiam anno Novitiatus non completo, Dummodo Novitiatus, seu Novitia habeat legitimam ætatem. Vide verb. Moniales art. 1. n. 96. Si tamen hujusmodi Novitiatus, vel Novitia convaluerit, debet iterum profiteri. Vide ibid. n. 97. Talis autem professio emissa in articulo mortis, anno Novitiatus nondum completo, non suffragatur, nisi quoad acquisitionem indulgentiarum favore profitentis, non autem quoad acquisitionem dotis favore monasterii, cum ipsa debeat restitui ejus consanguineis hæredibus. Vide ibid. n. 98. & vide etiam varia decreta relata ab Ursaya tom. 2. p. 2. discept. 24. An autem professio emissa in articulo mortis, anno probationis jam integre completo, prosit monasterio quoad acquisitionem bonorum. Vide ib. n. 99. & 100.

Professio facta post decimum sextum annum, sed ante decimum octavum requisitum a Statuto Ordinis Minorum, non annullante, aut irritante, valida est. Sac. Cong. Conc. 2. Novembr. 1582. apud Barbosam in

qui puellam ad Baptismum susceptum, non obstat quominus matrimonium contrahere valeat cum puella suscepta, respondit Sac. Cong. Conc. in Theatina Marimonii 23. Aug. & 1. Sept. 1721. apud Thesaurum Resolutionum Sacræ Cong. Concil. quæ Resolutiones prosant Venetiis apud Joannem Baptistam Recurti.

44 Procurator Generalis Observantium debet præcedere in Capella Pontificis procuratorum Patrum Conventualium; Sacr. Cong. Rit. 26. Novembr. 1593. & 11. Jan. 1602. ex approbante Sanctissimo, ut patet Decreto ad literam relato à Lantusa in Theat. Regul. verbo Procurator, n. 6. ut infra.

"Viso memoriale pro Procuratore Generali Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, Sanctissimi Domino Nostro portico, & à Sanctitate Sua Congregationi Sacrorum Rituum transmissa, super præcedentia eidem Procuratori in Capella Sanctissimi ante Procuratorem Generalem ejusdem Ordinis conventualium competenti, ac Decreto alias sub die 26. Novembris 1593. ad ejusdem Procuratoris de Observantia favorem facta.

"Congregatio 21. Jan. 1602. stetit in decisio, factaque eidem SS. Domino Nostro (iuxta ejusdem Sanctissimi Rescriptum) de præmissis relatione, Sanctissimus sua dicta decreta approbavit, & ab his, ad quos spectat, observari mandavit == P. H. Card. Com. == Loco Sigilli == Alexand. Gratianus proser. == In Regesto fol. 180. ==

45 Procuratores, seu Officiales deputati monasteriorum Monialium durare debent per triennium, & non ultra, seu de triennio in triennium, mutari debent. Sac. Cong. Episc. & Regul. in Orient. 16. Jul. 1615. apud Barbos. in Summa Apostol. decis. verb. Procurator. n. 3. & Monac. tom. 1. tit. 11. form. 14. n. 8. Immo si Episcopus animadvertat non esse utiles, parumque propensos, & diligentes servitio; etiam durante triennio poterit eos removere. Ead. Sac. Cong. in Surrentina 12. Maii 1617. apud Monac. l. c. n. 8.

47 Procurator contrahendo, etsi regulariter non proficiat, sed personam obligat mandantis, plures tamen sunt casus, in quibus propria obligat personam.

48 Primus casus est, si quis legitimis facultatibus contraxerit; Dicitur autem contrahere sine legitimis facultatibus, si mandato contrahendi caruerit, ut respondit Rota in Melevisana Redditionis super indemnitate 24. Aprilis 1750. §. 3. cor. Reverendiss. Molin.

49 Idem est, si mandatum fuerit revocatum; nec juvatur ambiguitate revocationis, & credulitate ratificationis, & vanum est dicere putabam; ut firmavit idem Sacrum Tribunal in Romana frumentii super reservatis 7. Martii 1742. cor. eodem.

50 Alter casus est, si Procurator habeat mandatum, sed mandans sit exterrus, & ignoti nominis; Rota in dict. Romana frumentii super reservatis 7. Martii 1742. cor. eod.

51 Tertius casus est, si substituerit, & substitutus male se gesserit. Et nota id locum sibi vindicare, etiam si Procurator facultate substituendi donatus fuerit, modo facultas substituendi non sit directa in certam personam. Confer Rota in Romana pecuniaria 9. Decr. 1743. cor. Reverend. D. D. Caniliac. Decano, ubi quando Procurator non tenetur pro male gestis a substituto. (Ad rem leg. 19. tit. 5. p. 3. 20. 26. 28. 29. 30. 31. & 33. tit. 12. p. 5.)

(Conducunt decisiones tit. 10. lib. 1. For. Reg. undeviginti continet, parum discriminis inter eas, quæ sunt signatæ in Partit. Codice, & in hoc tit. 10. comprehensæ; vide etiam titulos Recop. Castel. tam legum quam Aucf. Accord. 24. lib. 2. atque Indice Recop. 28. lib. 2.)

PRODIGALITAS. Vide tom. 1. verb. Avaritia n. 13. & 14.

PROFESSIO FIDELI. Vide verb. Fidei professio.

in Summa Apostolic. dec. verb. Professio Regularis 16 n. 9. Sic etiam Professiones emisse juxta dispositionem Concilii Tridentini, id est, post completum 16. annum, sunt validae, quamvis in Constitutionibus Religionis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum, auctoritate Apostolica confirmatis, cautum sit, quod in ea Religione aliquis non recipiatur antequam annum vigesimum videatur complevisse. Sac. Congr. Conc. 2. August. 1631. & 24. Aprilis 1632. apud Barbos. l. c. n. 10. Et sic dicendum est Professionibus emissis ante aetatem requisitam à Constitutionibus aliarum Religionum; Dummodo servetur aetas requisita à Concilio Tridentino, & non requiratur major aetas sub clausura annullante, & irritante confirmata expresse à Sede Apostolica.

17 Professio potest per Superiorem prolongari, lapso temporis Novitiatu, in his, qui non bene adhuc didicerunt, & aliquantulum inhabiles reperiuntur; Dummodo habeant spem probabilem, quod efficiantur habiles infra sex menses, Sac. Congr. Conc. 8. Novembris 1569. apud Barbosam l. c. n. 6. Si tamen propter aliquam pertinaciam infirmitatem, vel aliam causam esset protrahenda Professio ultra sex menses, tunc pro facultate esset aequanda Sedes Apostolica. Vide verb. Annus probationis à n. 29. ad 35.

18 Item ad valorem Professionis requiritur, quod tam Novitiatu, quam ipsa Professio fiat in Conventibus designatis. Fagnan. lib. 4. Decretal. cap. Insinuante, Qui Cleric. vel vocentes à n. 42. Pignatell. tom. 9. consult. 173. n. 56. & consult. 175. à n. 24. Ursaya tom. 8. part. 1. discept. 33. n. 34. Donatus tom. 2. part. 2. tract. 8. q. 2. & 4. ubi ad id adducit Decretum Clementis VIII. & Decretum Sacrae Congregationis jussu Urbani VIII. editum 21. Septembris 1614. & Constitutionem ejusdem Urbani VIII. incip. Religiosos viros, ubi sic expresse habet: Cum itaque, sicut accepimus, quamplures Ordinum, Congregationum, & Institutum Regularium Professores ad habitum Regularem recepti, probationis annum in Monasteriis, seu Domibus Regularibus ad id designatis, vel ab Apostolica Sede approbatis minime fecerint, proindeque juxta Constitutionem fel. recordat. Clement. VIII. praedecessoris Nostri de super editam, Professio per eos subinde emissa invalida existat... Ubi nota haec ultima verba: Professio per eos subinde emissa invalida existat, & ista, quae infra subjungit: Eisdemque postquam professionem de novo, ut profertur, emisissent &c. ex quibus clare, & expresse constat, quod ad valorem professionis requiritur, quod tam Novitiatu, quam professio fiat in Conventibus designatis. Et tenent etiam Corrad. prax. dispen. lib. 5. n. 6. vers. Nec non Decret. Matthaei. Offic. Cur. cap. 34. n. 20. & alii plures, & consentire videntur Card. Petra loc. infra cit. Monacell. tom. 3. tit. 1. formul. 34. n. 4. Vide verb. Annus probationis à n. 36. ad 40.

20 Viri recepti, & Professi in Conventibus non designatis tenentur nullitatem suae professionis deducere coram Sac. Congr. Conc. quod si non fecerint, & recedere à monasteriis praesumpserint, tamquam Apostatae sunt puniendi. Et Superiores, qui in cognitione causae se ingesserint, vel Professores eiecerint, censuras latae sententiae incurrunt, ut habetur ex decreto Urbani VIII. quod per extensum referunt Donatus tom. 2. p. 2. tract. 8. de domibus Novitiorum q. 9. n. 8. Corrad. prax. dispen. lib. 5. cap. 13. n. 11. Peyrin. in suo Formular. lit. P. cap. 20. Bordon. tom. 1. variar. resolut. q. 13. n. 7. & alii prout sequitur.

21 Sanctissimus D. N. Urbanus divina providentia Papa VIII. ad occurrendum motibus, qui possint in Religionibus oriri occasione receptionis Novitiorum, & Professionis per eos emissa in Conventibus non designatis, contra formam decretorum san. mem. Clementis VIII. de Novitiis ad habitum Regularem, & Professionem non admittendis, nisi in Conventibus designatis, audita super hoc sententia Sac. Congr. Conc. declaravit, & decre-

vit, hujusmodi Receptor, ac Professores contra formam ipsorum Decretorum, allegantes propterea nullitatem Receptionis, & Professionis, non posse super hujusmodi nullitate post lapsum quinquennium quoquo modo audiri. Quod si aliqui contra formam praedictorum decretorum Recepti, & Professi à Religione infra quinquennium exire, vel Superiores extra respectu illos eiecerint, eadem Sua Sanctitas declaravit, ut tam ipsi Professi, quam Superiores respectivo tenentur Jura, quae sibi favere visa fuerint, prius deducere coram Sacra Congregatione, quae ex speciali etiam Sua Sanctitatis facultate super hoc concessa, providebit.

Inhibendo propterea Primatibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Abbatibus, ac quibuscumque Judicibus Ordinariis, & Delegatis, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditoribus, & S. R. E. Cardinalibus, etiam de Latere Legatis, Sedique Apostolicae Nuntiis, ne in posterum in hoc quoquo modo se ingerant absque speciali ejusdem Sanctitatis commissione sub pena ipso facto incurrenda, quoad Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, & Primates, Interdicti ab ingressu Ecclesiae; quoad Abbates, Inferiores, & alios Judices praedictos, excommunicationis latae sententiae: Quo vero ad Nuncios, & S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, indignationis Suae Sanctitatis, & paenarum arbitrio imponendarum.

Si vero idem Recepti, ut supra, & Professi Juri- bus suis minime deducit coram Sacra Congregatione, aut fuerint recedere, ipsi Recepti, & Professi itaque Apostatae puniantur, & pro talibus habeantur, necnon eosdem juxta formam Decret. de Regular. Apost. & Ejectis ejusdem Sanctitatis Suae jussu ab eadem Congregatione sub die 21. Septembris 1634. editi procedatur, & Superiores, qui eiecerint, paenas suspensionis à Divinis, necnon privationis omnium officiorum, quae tunc obtinebunt, ac perpetuae inhabilitatis ad ea in posterum obtinenda, vocisque activae, & passivae ipso facto, absque alia declaratione incurrant.

Datum Romae die 5. Januar. 1638.  
Fr. Card. Verosipus.

Concordat cum Originali. Ita est, Antonius de Episcopis Cancellarius Illustriss. & Reverendiss. Domini Nuncii Apostolici Veniarum. Et sic etiam refert Card. Petra tom. 5. Comm. ad const. 9. Sixti IV. n. 23.

Ratificare volentes professionem nullam ob loci designati defectum, non tenentur Novitiatum reiterare, nec novum consensum Capituli exquirere, sed sufficit, quod ratificatio, seu nova professio fiat in manibus Praelati; & talis nova professio eis suffragatur in omnibus, & per omnia, tam in foro interno, quam externo, ac si ab initio valide professi fuissent: Sic expresse statuit, & declaravit Urbanus VIII. constitut. incip. Alias: quae hic per extensum ad uberiores notitiam adducitur.

URBANUS PAPA VIII. &c.

Alias per Nos accepto, quod quamplures Ordinum, Congregationum, & Institutum Regularium Professores, ad habitum Regularem recepti, probationis annum in monasteriis, seu domibus Regularibus ad id designatis, vel ab Apostolica Sede approbatis minime fecerunt, perindeque juxta const. fel. record. Clem. Papae VIII. praedecessoris nostri de super editam, professio per eos subinde emissa invalida existebat; Nos motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione, nostris bon. mem. Scipione Episcopo Sabinesi Cardinali Burghesio nuncupato, Majori Pœnitentiaro, vel Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, cœterisque Ordinariis Locorum, in quibus eorundem Religiosorum monasteria, domus, seu conventus, aliaque Regularia loca consistebant, sive ipsorum Religiosorum Praefectis, vel Superioribus Generalibus per nostras in simili forma Brevis sub die 11. Aprilis

Aprilis MDCXXXI. expeditas literas, commisimus, & mandavimus, quatenus omnes, & singulos Religiosos praedictos, qui ad habitum Regularem alias canonice recepti, annum probationis, in monasteriis, seu Domibus Regularibus ad id designatis, minime fecerant; subindeque professionem denuo, servatis alias servandis, emittebant, quae sic emissa illis, & eorum cuilibet, tam in foro interiori, quam exteriori, suffragari deberet, absque novo probationis anno, ex speciali hujus Sanctae Sedis benignitate, auctoritate nostra Apostolica reciperent, & admitterent, eisdemque postquam professionem denuo, ut praefertur, emisissent, ad omnes gradus, honores, dignitates, praerogativas, atque habilitates, quas si ab initio valide professi essent, legitime obtinerent, eadem auctoritate restituerent, ac restitutos eo ipso esse, & censeri declararent, ita ut haberent eundem locum, sessionem, & votum, prout haberent, si priores professiones validae fuissent: & nondum promoti ad omnes, etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines, servatis alias servandis, promoveri, & tam ipsi, quam illi ad eosdem Ordines jam recte promoti in superioribus Ordinibus hujusmodi, etiam in altaris ministerio ministrare licite, & libere valerent, necnon omnes nactus, sive contractus, quos contraxerant, & legitime contraxissent, vel defectum, nisi cum aliis monasteriis, seu alterius Religionis viris, si nullum aliud paterentur vitium, vel defectum, nisi ex eo solum, quia initi, aut contracti erant invalide ab iis, qui contra dictam constitutionem in domibus non designatis, sive ab eadem Sede non approbati, professi fuerant, auctoritate nostra praedicta confirmarent, & approbarent, ac validos omnino declararent, super quibus omnibus & singulis plenam, & amplam facultatem dicta auctoritate tribuimus, & impartiti sumus, & alias, prout in dictis literis, quarum tenores, praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continentur. Cum autem, scidit dilectus Filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Praedicatorum Nobis nuper exponi fecit, in nonnullis dicti Ordinis provinciis, nova oriantur difficultates, quae conscientias multorum sollicitas habent, Nobis propterea humiliter supplicari fecit dicti Procurator Generalis, ut super praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos igitur omnem in praemissis ambigendi, seu sciendi materiam è medio tollere, ditorumque Fratrum quieti, quantum cum Domino possumus, consulere, ac Procuratorem Generalem praedictum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis à Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, haturum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinatis; De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium praepositorum consilio, Apostolica auctoritate praedicta, tenore praesentium statuimus, atque ordinamus, quod in ratificationibus, sive novis professionibus faciendis in manibus Praelati nova Fratrum vocalium acceptatio nullatenus requiratur, sed statim Professus intelligatur, & Filius ejus Conventus, in quo Professionem fecerat, supplendo cum simplici ratificatione, seu nova professione quaecumque requisitum, quod de Jure requireretur, seu de facto occurreret, necnon retentione eorum graduum, officiorum, honorum, dignitatum, vel praerogativarum, quibus ad praesens gaudent: ita tamen, ut qui de facto habitum Regularem dimiserint, recipiantur salva Ordinis disciplina. Decernentes, praesentes literas validas, firmas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, quos ille concernunt, plenissi-

me suffragari, irritumque, & inane quidquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac omnibus illis, quae in dictis literis volumus non obstat, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 31. Januarii 1635. Pontificatus nostri anno duodecimo.

Item ad valorem professionis requiritur, quod omnino libere libero consensu Proficientis absque metu gravi, sive cadente in virum constantem ab extrinseco injuste incusso fiat. Communis, per text. in cap. 1. de Regularibus, c. 1. De his, quae vi, metu, & causa sunt, cap. Praesens 4. caus. 20. q. 3. juncto Conc. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 15. ubi inter causas reclamandi contra Professionem prima ponitur: Si quis per vim, vel metum indultus est.

Dicitur autem notanter: absque metu gravi, seu cadente in constantem virum, quia metus levis non reddit professionem invalidam, ut docet Communis Doctorum, arg. l. Metus autem 3. ff. Ex quibus causis majores &c. ubi: Sed non sufficit quolibet terrore abductum timuisse.

Sic etiam notanter dicitur: ab extrinseco injuste incusso, quia metus proveniens ab intrinseco, & causis naturalibus, non invalidat Professionem, ut patet de aegrotis, qui metu imminentis mortis, aut timore inferni, completo anno probationis, emittit professionem, quam alias non esset emissurus, text. expresso in cap. Sicut nobis 17. de Regularibus, & concordat cap. Perlatum est, de his, quae vi, metu, & causa sunt; Unde Fagnanus lib. 3. Decretal. in cap. Si quis a. de Regul. n. 82. refert, fuisse à Sacra Congr. Conc. articulo diligenter discusso, declaratum, quod si quis, ut evadit ultimum supplicium ob conscientiam scelerum commissorum, aut mortem sibi timens ab inimicis, Religionem profiteatur, nisi aliud obstitierit, est valide professus, licet alias professus non fuisset.

Hinc tenendum est, quod solus metus mortis violentae incussus à causa libera extrinseca cadens in constantem virum invalidat professionem. Vide verb. Metus n. 14.

Non invalidat autem dictam professionem metus mortis naturalis, seu ab intrinseco. Vid. ibid. n. 15. Nec dictam Professionem invalidat metus mortis accidentaliter casualis. Vid. ibid. n. 16.

Cur professionem inficiat timor mortis violentae incussus à causa libera extrinseca, & non timor mortis naturalis, vel accidentaliter casualis? Vid. ibid. n. 7.

Metus mortis violentae ad hoc, ut invalidet Professionem, debet esse ab homine incussus, & ordinatus ad ipsam professionem extorquendam. Vid. ibidem n. 18.

Secus autem non invalidat. Vide ibid. n. 19.

Metus reverentialis, si processerint min, vel verbera, aut Pater sit terribilis, annullat professionem. Vid. ibid. n. 20.

Professio dicitur metu facta ex praecedentibus minis, aut verberibus à Patre illatis, etiam sine expresso pracepto. Vid. ibid. n. 21.

Insuper volunt sufficere solum metum reverentialem absque mihi. Vid. ibid. n. 22.

In praxi tamen tenendum est, non sufficere solum metum reverentialem ad annullandam, seu invalidandam professionem. Vid. ibid. n. 23.

Alla de metu. Vid. ibid. per tot. & verb. Impedimentum Matrimonii art. 1. à n. 98. ad 107.

Quibus adde, quod professio emissa per vim, & metum, & ante annum 16. à Concilio Trident. praescriptum, nulla declarata est à Sacra Congregatione Conc. in Veneta, seu Mantuana Nullitatis Professionis 18. Augusti 1697. de qua Ursaya tom. 1. part. 1. disceptat. 3. Item professio per vim, & metum emissa, & Novitiatu interrupto, nulla declarata est ab eadem Sacra Congregat. Concil. in Praenestina Nullitatis profes-



